

Hg. 13

19

MATHEYSIS PHILOSOPHIAE FILIA, NON MATER.

Die
Welt-Weisheit der Grund von der Mathematic.

QUAM
PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS
EX CONSENSU
AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHICI
IN ALMA FRIDERICIANA

CAPESSENDIS
H. L. Q. C. D. VI. MAJI
PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI
SISTIT

GODOFREDUS PROFE,
FRANCOFURTANUS.



HALÆ MAGDEBURGICÆ,
LITTERIS HENDELIANIS, 1738.

МАТЕРИАЛЫ
ПОДГОТОВКИ
КОНВЕНЦИИ

ausserdem Marien noch durch den Friedens- und

СЕЧІ РИАЛІЗУНІ ВІДЕОПІДАГОГІКІ



PROOEMIUM DISSERTATIONIS.

§. I.



R&etissimum philosophiam inter atque mathefin, ut reliquas scientias, intercedere nexus, omnium fere philosophorum consensus est. Quæ autem utriusque hujus disciplinæ ratio, atque indeoles sit, & utra alteri originem suam, atque primum quasi debeat in eo, quam maxime dissentiantur.

Ante Platonis & Aristotelis tempora philosophia in primis naturalis a Democrito, & Pythagora habitu mathematico induita erat. Illi autem duo græcanicæ philosophiæ statores a mathematico philosophandi more discedebant deinceps multorum eam ob rationem censuram incurrentes. Malebranchius affirmat: *Aristotelem in physicas nibil demonstrasse, quia nullam harum (quas Cartesius ex mathesi assumpsit) regularum partem observavit.* Alia quæ Aristotelis physica experta est judicia, vide in Stolle Historie der Gelahrheit p. 525.

§. II.

Sunt, qui philosophiam ejus & cultum & soliditatem omnem a quantitatis studio repetere non verentur, & eum, qui mathematica ignorat, vix nomine

A boni

2 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

boni philosophi dignum censem. Sed hi fere sunt, qui se ejusdem magistros profitentur, suæ autem artis se in eo nimios demonstrant æstimatorum.

Quis, ut alios silentio præteream, sine censura tolerabit Malebrachium in tractatu de inquirenda veritate sat prolixæ mathesin laudantem, cum Arithmeticam atque Algebra tanquam duos fontes omnium utilium & accuratarum Scientiarum commendat. Sine Algebra, inquiens, mens non habet neque penetracionem neque capacitatem. item Non credam esse quicquam utile quodve accurate ab hominibus sciri possit, ad cuius cognitionem Arithmetica, atque Algebra ope pervenire non licet. Sane nemini, qui regiam ad scientias ingreditur viam, hanc suam satis probabit sententiam.

§. III.

Ii, qui in mathematicorum methodo extollendat copiosi sunt, tamque eloquentes, eo plerumque procedunt, ut eam solam naturalem, & omnium præstantissimam veritatem inquirendi, & proponendi rationem esse affirment; Hinc omnem Logices doctrinam a Mathematum doctoribus expetendam esse assertant. Neminem praeter mathematicum distincte, accurateque cogitare posse rati.

Inter eos, qui Logicas regulas a Mathematicorum præxi deducunt, primo loco nominandus venit Tschirnhausen Mathefeos & Physices peritissimus eques. Cujus insigne opus Medicina mentis inscriptum Thomasium acerrimum hostem, pariter ac studiosum laudatorem habuit. Morhoff in Polyhistore de eo ita pronuntiat. Cum ergo Tschirnhausen Mathematicos nullas favere controversias videret, aut eas, si
quæ

INAUGURALIS.

3

*qua exsigerent, statim componi, hoc indicio judicabat, hos
solos exoptatam Methodum attigisse. Ex eodem fonte
sue Logicæ præcepta se haussisse Wolfius, qui in utraque
disciplina parem habet facultatem, profitetur in præfat.
Log. German. Derowegen bleiben bloß die Mathematischen
Wissenschaften übrig daraus man den richtigen Gebrauch der
Kräfte des Verstandes ersehen kan. Es darf aber niemand
das gemeine Spruchwort: Ein jeder Schäfer lobet seine Reule
auf mich appliciren; den wer mich kennet und nicht wieder sein
Gewissen reden will, wird sich nicht entbrechen mir das Zeugniß
zu geben, daß die Liebe zur Wahrheit bey mir über alles gehet.
Paucis interjectis Lockii mentio sit, qui pariter sua, quæ in
doctrina de intellectu præstitit, matheſeos studio tribuisse
dicitur.*

§. IV.

In rerum naturalium scientia quanta per matheſeos
cum eadem conjunctionem mutatio facta sit, nemo ha-
rum rerum peritus ignorat. Etsi enim antiquissimis
jam temporibus Democritus in philosophia sua corpus-
culari matheſeos adminiculis ad naturæ opera expli-
canda usus sit, cuius vestigia deinceps legit Epicurus;
Cartesius tamen recentiori ætate sibi in primis hoc da-
tum esse putavit, ut totum physices adificium mecha-
nicis superstrueret fundamentis, & omnes corporum
mutationes ex dispositione, figura, & motu particula-
rum derivaret. Angli autem in primis Neuton, *in Principiis philosophiae naturalis mathematicis* cum assecla
atque defensore suo Johanne Keilio in hac matheſeos
cum physica conjunctione non ulterius tantum, sed feli-
citer etiam & cum majori circumspectione progressi
sunt. Quorum exemplum secutus Wolfius in Mecha-

A 2

nica

4 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

nica ita scribens: Ja wenn ihr im Fortgang merken werdet, daß weder die Bewegungs Gesetze der Natur, noch das Verständen der Kräfte ohne die Geometrie und Rechen-Kunst erkandt werden können; so werdet ihr ohne weiteres Bedenken zugeben, es könnte ohne die Mathematick jemand so wenig tüchtig philosophiren, als einer der keine Füsse hat, oder wenigstens lahm ist, hurtig rennen und lauffen.

Accurate judicat Morhoffl. c. p. 199. de philosophia Democritea. Non enim, inquiens, tota illa adeo absurdum est, quin magnam obtineat vim in demonstrandis affectionibus quibusdam naturalibus, quarum ratio ad sensum manifestius patet ex doctrina corpusculari. Retinere itoque corpuscularem hanc philosophiam possumus, & cum utilitate maxima applicare rebus, modo obscindamus stultas illas & profanas Epicuri sententias. Eadem particularum principia Cartesium e Democriti & Epicuri Schola accepisse eodem loco laudatus Morhofius testatur. Clarius indolem physicæ Cartesianæ explicat Cel. Stollius in der Historie der Gelahrtheit p. m. 551. Was Cartesius vor eine Methode ausgedacht lehret seine dissertatione de Methodo. Er hat die Mathematic zum Grunde gelegt, und die ganze Physic mechanisch machen wollen. Gleichwohl soll er seine Natur-Lehre selbst gegen vertraute Freunde nur seinen Roman genennen haben. His adjunge quæ p. m. 559. adjiciuntur, ex Phys. divin. Rüdigeri. Neuton laudandus, quod physices quædam solum principia mathematica esse ognoverit. Sed pudeat Cartesium dixisse, se nulla alia physica principia admittere, quam mathematica.

§. V.

Metaphysica, quæ diversissimæ a Mathesi indolis & argumenti est, siquidem non tantum circa generales entium

INAUGURALIS.

entium affectiones occupatur, sed spirituum quoque
indagat naturam, omnium facilime suam sibi a Ma-
thesi libertatem vindicare posse videtur. Nihilo tamen
secius Thomas Anglus jam peculiari libello, cui *Eucli-
des Metaphysicus* titulus est, hanc philosophiae par-
tem sub Mathematicorum regis potestate mittere
tentavit.

Audiamus de eo Morhofium, qui in Polyhistore suo ita
loquitur: *Hi qui mathematica via incedunt ad sensuum evi-
dentiā omnia redigunt, & mechanicam quandam certitudi-
nem, cui ita indulgent, ut in iis, quae sensibus nulla ratione sub-
jacente, ne latum quidem unguem ab illa sibi discedendum existi-
ment similes, ut opinor ita, qui rerum mensuras confundunt.*
*Similem methodum in rebus notionalibus, & spiritualibus sequi-
tur Thomas Anglus libro Euclides Metaphysicus Londini 1658.
edito, vix autem sua omnibus probabit, et si in præfatione ejus
libri de triumphata principiorum sapientiae ignorantia tropæa
se moliri jaet.*

§. VI.

Ipsa denique de moribus doctrina ex mathesi ne-
scio quæ adminicula & incrementa secundum nonnul-
lorum sententiam sperare potest. Qualia mysteria Py-
thagoras jamjam in numerorum scientia sibi invenisse
vifus sit, vel quæ potius his symbolis abscondidit oc-
culata, nostra quidem aras ignorat; Weigelius autem
pro singulari suo ingenio peculiari libro ostendere co-
natus est, quam commode problemata, & axiomata a-
rithmetices vel ad morum scientiam applicari queant.

*Titulum huic libro inscripti: Arithmetische Beschreibung
der Moral Weisheit von Personen und Sachen, worauf das ge-*

6 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

meine Wesen besteht, nach der Pythagorischen Creuzzahl in lauter tetractysche Glieder eingetheilt. Quemve tractatum Leibnizius excellentem vocat, quo Pythagoras nil praestantius dixit.

§. VII.

Quæcum ita sint, & fere nulla philosophiæ pars super sit, quæ matheseos ope hac ratione carere possit, alii his conatibus philosophiam mathematibus subjiciendi acriter suam opposuerunt sententiam, & in utilissima scientia mathematum nescio quid sibi vituperandum sumserunt.

Non est, ut ea quæ Henricus Cornelius Agrippa in famoso libro de incertitudine, & vanitate omnium scientiarum, ad matheseos certitudinem, & utilitatem explodendam afferat, & quapropter fere ab omnibus sanis castigari solet, commorem, neque eorum qui huic se aliquo modo consentientes adjunxerunt Huetii & Poireti mentionem faciam. Salva enim res est, nemo ex limpidiſſimo fonte mathematicarum scientiarum fatalismi, stupiditatis, insensibilitatis spiritualis, brutalismi, & incredulitatis, ut Poiretus veretur, venena imbibet. Ad ea quæ nobis magis domestica sunt exempla redamus.

§. VIII.

Methodum mathematicam fontem senioris Logicæ præcipuum, si non unicum vel optimum esse, adeo quibusdam displicuit, ut sibi potius persuaderent, eam, si ingenium philosophicum ex abstractis mensurarum meditationibus nullum caperet detrimentum, ad culturam tamen mentis vel nihil aut parum comodi, quod aliunde majori jure sperari posset, afferre. Et si quæ præter-

INAUGURALIS.

7

præterea laus, vel evidētia huic methodo tribuenda sit, eam tamen omnem, tum ab evidētia principiorum mathematicis propriorum, tum a Logicæ debito usu proficiisci statuant.

Hæc præter alios Budsei sententia est, quam cum controversia adhuc inter ipsum & Wolfium agitaretur, constansime defendit, quæve sæpius repetita in scriptis ipsius deprehenditur. vid. Ilagoge in Theol. Universam p. 327. ubi ita hac de re verba facit: *Sive autem Matheſin ad mentis exercitationem, sive aliam quandam disciplinam philosophicam, quæ ingenii aliquod acumen postuleat, ad sumas perinde esse videtur. Maximum hujus sententiae præsidium in eo sibi inventisse videntur, quod methodus mathematicis usitata non in omnibus disciplinis locum habeat, genuinis autem logicæ regulis hoc proprium sit, ut ad omnis generis Scientias applicari possint. Sæpe nobis laudatus Morhofius jam ita hac de re suam proposuit sententiam. Non potest etiam eam ob causam methodus aliqua universalis institui, quod omnium rerum imaginabilium præsertim accurata non possit dari scientia, ac multa in problematica incertitudine subsistant etiam in naturalibus. Quare ita hinc concludit, si vel maxime velis mathematica æquæsa incedere, non tamen licebit in omnibus.*

§. IX.

Matheſeos in physicam & Metaphysicam adoptio pariter non omnibus probata est, multi potius hincjūstissimam querendi cauſam habere putarunt, quod utilissima præsertim naturæ scrutatio per mathematica principia adeo obscuretur, ut aditus ad eandem non tantum non aperiatur ea ratione, sed potius occludatur, & mathematicis subtilitatibus ita obsitus fiat,

ut



8 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

ut vix iis, qui in quantitatibus dimetiendis sunt versati, facile pateat.

Notatu digna sunt verba Verulamii a Mothofio & Budeo allegati. *Quod etiam, inquietis, quodammodo facere compellimur propter delicias & fastum mathematicorum, qui hanc scientiam physicae fere imperare discipiunt. Nescio enim, quo faro fiat ut mathematica & logica quae ancillarum loco erga physicam se gerere debeat, nibilominus certitudinem sum am præ ea jactantes, dominatum contra exercere præsumonez.* vid. de Dignitate & Augmentis scientiar. Libr. III. Cap. VI. Huic merito subjungitur Ruardus Andala qui in Exam. Differ. Geuling. acriter in eos invehit, qui physicæ ubivis mathematica immiscent, siquidem ex ipsius sententia longe maiorem obscuritatem, incertitudinem, fictionem, contradictionem, & sententiarum diversitatem, quam in aliorum præstantiorum physicorum vel metaphysicorum scriptis deprehendimus. Præ omnibus cel. olim apud Lipsienses philosophus omnem suam navavit operam matheſin a physica prohibendi, qua de re ejus mentem Stollius brevissime his verbis ita explicat. Herr Rüdiger ist anders Sinnes als die, welche die Natur-Lehre Mathematisch tractirt. Den er meynt die Möglichkeit, womit die mathematischen Natur-Kündiger zu frieden, mache noch lange keine Wahrscheinlichkeit, vielweniger eine gewisse Wahrheit aus, und die Mechanischen Grundläze, wenn man sie allein ließe, führen von Gott ab, daher er diesen annoch den Geist beyzufügen vor nothig erachtet. Dass es ihm an Wiedersachern nicht gefehlet ist so wenig zu verwundern, weil die wenigsten Leuthe dissensum leiden können. Er hat aber gewiesen, dass es ihm so wenig an Muth als Kräften fehle, sich zu vertheidigen.

§. X.

INAUGURALIS.

9

§. X.

Eos denique quod attinet, qui officiorum scientiam apud matheſeos magistros addiscere suaserunt, plurimiſ ſuſcipere laborem viſi ſunt, adeo, ut ſententiā eorum bona mente prolarā magis exploſerint, quam refutarint. Quis enim eſt? qui ignorat, quam variā variorū judicia Mysteria Pythagoræ numerica paſſa ſint. Id ſaltem monemus, quia matheſeos ſtudiū profundam mentis cogitationem poſtulat, homines ad idem incubentes triftes redi, & ad conſuetudinem aliorū inepti exiſtimantur, tantum abeſt, ut ea ratione humanitatis, & civilitatis officiis aſuefiant.

§. XI.

Tanta igitur, tamque antiqua diſſidia eruditōrum mentes in matheſeos cum philoſophia conjuſtione dijudicanda a ſe invicem diſjunxerunt. Periclitēmur nunc, quid ad dirimendam hanc litem a nobis pŕefari queat idoneum, & ſi quid lucis tam controverſo, & diſſenſionis pleno argumen̄to afferre poſſimus, ſtudeamus.

§. XII.

Sed ordienda nobis res erit ab iis, quae hic neceſſario ſupponenda ſunt, principiis; Nulla enim neque demonstratio, neque tractatio ſine hiſ rite ſibi conſtare potheſt. Eo brevioribus autem in iisdem nobis eſſe li- cebit, quia in ſcholis Logicorum poтиſſimum ea, quae noſtræ hic inſerviunt demonstrationi, ſatis expedita ſunt.

B

TRA-



10 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

TRACTATIO.

§. I.

Quælibet rei cuiuslibet in mente repræsentatio efficit cognitionem. Repræsentationem autem vocamus rei unius ad alteram conformatiōnem.

Generalissimo cognitionis vocabulum hoc loco accipimus sensu. Etsi enim aliis ad cognitionem præter perceptionem requirere placuit ad perceptionem, sive ejusmodi repræsentationem, quæ cum aliqua saltem res a se invicem, & a nobis ipsis distinguendi facultate conjuncta sit, quæve facultas efficit, ut nostri simus consci; Nullam tamen video rationem, quæ impedit, quo minus ipsa rerum obscura repræsentatio cognitione vocari possit.

§. II.

Quodsi cum hac, quam suppeditavimus cognitionis definitione §. I. eam conferimus, qua Logici notionis terminum explicant, utramque eodem modo sese habere deprehendimus. Cum igitur ea, quarum eadem est definitio sint eadem, per Log. Notio a cognitione non differt, quam ut plures nonnunquam ad cognitionem constituendam concurrere possint notiones.

§. III.

Duo sunt, quæ in qualibet cognitione occurrunt, res primo, & ejus deinceps in mente repræsentatio §. I. Quodsi igitur de indole, & cognitionis discrimine judicandum sit, ad utrumque sedulo respici oportet.

Accurate de cognitione primus fere disputavit Illustr. Leibnitius in Actis Erudit. An. 1684. p. 537. ubi ea, ad quæ potissimum attendendum est, paucis, sed, ut solet, solide monstravit.

§. IV.

INAUGURALIS.

ii

§. IV.

Discrimen cognitionis, quod ex repræsentatione ipsa, ejusque diverso modo emergit a Logicis dici solet formale; illud autem, quod in rebus repræsentatis deprehendimus materiale audit, quia id, quod repræsentatur, quasi materia est, circa quam mens repræsentando diversimode versatur.

§. V.

Infinita cognitionis diversitas oritur, si ad res repræsentatas attendis. Cum enim nullum ens alteri perfecte simile sit, per princip. indiscernib. nulla quoque entis notio cum altera eadem erit, sed omnes a se invicem maxime differunt.

Quodsi de differentia notionum materiali Logicis sermo est, dividere eas solent primo in singulares, & universales, prout vel individuum, vel speciem & genus repræsentamus. Deinde in simplicem, & complexam; illa rem ipsam, hæc præter rem aliud, quod eidem inest, attributum repræsentat. Tertio in notionem abstractam (*), qua attributum extra ens, ad quod pertinet, tanquam per se subsistens consideratur, & concretam, quæ prædicatum intra subjectum, cui competit, repræsentat. vide de his Wolfium in Systemate Logico Lat. P. I. Sect. II. Cap. II. At quis non videt? hæc omnia eodem jure ad modum repræsentandi varium posse referri. Quamobrem materialis notionum differentia, quia a rebus ipsis pendet, earumque discrimine in antiquorum Logicorum doctrina de Prædicamentis, quam recentiores a Logica abesse jussérunt, mihi quidem latere videtur. Pra-

B 2

terea

(*) Potius notio abstracti dicenda esset, abstracta notio enim est, quæ per abstractionem formatur.

12. DISSERTATIO PHILOSOPHICA

terea ad materialem cognitionis differentiam numerari deberet, si in eam, quæ sui, quæ Dei, quæ naturæ, & quæ alia cognoscendi objecta sunt, distinguitur.

§. VI.

In formalis notionum, atque cognitionis differentia explicanda omnes fere sequuntur Leibnitium citato loco. Repræsentamus enim, vel rem ita, ut neque ab aliis, neque a nobis ipsis discerni possit, unde notio obscura oritur, aut possumus quidem res a se invicem distinguere, non autem caræcteres enumerare, quibus ad easdem fecernendas utimur, hanc vocant claram quidem, sed confusam; Huic succedit distincta, qua si quis gaudet, caræcteres simul eloqui novit. Cum autem caræcteres ad res a se invicem data occasione distinguendas non semper sufficient, novam classem Wolfius constituit, qui notiones distinctas vel completas, si sufficientes complectantur caræcteres, vel fin minus, incompletas esse statuit. Accedit denique tertia classis, si ipsos caræcteres, qui notionem distinctam ingrediuntur, a se invicem distinguere possumus, notio nobis tribuitur adæquata, cui opponitur inadæquata.

Facillimum nobis esset eorum, quæ huc usque adduximus sumمام utilitatem variis exemplis ostendere, nec non aliam cognitionis divisionem, qua vel vulgaris, vel erudita est, hinc explicare; sed supersedeamus huic negotio, & ad ea, quæ nostræ disputationis argumento convenientiora sunt, festinemus.

§. VII.

Aliud superest cognitionis discriminem, quod a nobis omitti adeo nequit, ut utramque fere in hac nostra tracta-

INAUGURALIS.

13

tractatione faciat paginam. Alia nempe est cognitio historica, alia philosophica, alia denique vocatur mathematica.

Solidissime hæc tria cognitionis genera excusit celeb.
Bulfinerus in Disp. de triplici cognitione rerum Historica,
Philosophica, & Mathematica Tubingæ 1722. Afferant
ea, quæ ad nostram faciunt demonstrationem.

§. VIII.

Historica dicitur cognitio, Rei cuiusdam nuda & simplex in mente representatio. Constat ea plerumque notione clara raro distincta. §. 6.

§. IX.

Philosophica cognitio non est nuda vel simplex rei, vel phænomeni cuiusdam in mente repræsentatio; sed ea, quæ præter rem, ejus quoque rationem, & tertio nexum illius cum hac ob oculos ponit.

Fundamentum hujus cognitionis in principio rat. suff. deprehenditur. Quod cum universale sit, ipsa haec cognitio quoque talis erit. Ille autem nexus hunc demum perspicit, qui omnia ea, quae in ratione continentur, & ad rem efficiendam concurrunt enarrare, & hanc ex illis concipere novit. Non sufficit ad cognitionem de Eclipsi solari philosophicam, dicere, eam ab interjacente luna inter terram & solem eriri, necesse est, ut noveris, quod Luna sit corpus rotundum, & opacum, hinc radios solis non transmittere, sed umbram suam corpori opposito, ut terræ, adspergere.

§. X.

Mathematica denique cognitio in determinanda
relatione, quae in res ad sui rationem, si quantum spectas,

B 3

habet.

habet, occupatur. Cum igitur cuilibet enti sit sua ratio, inter ens autem, suamque rationem intercedere relationem, & quidem determinatam p. Metaph. constet. Possibilis ideo est hic tertius cognoscendi gradus. Et quia hoc de quolibet ente, ejusque cognitione valet, mathematicam cognitionem ubivis applicari posse, quis non videt?

§. XI.

Quia ad cognitionem philosophicam requiritur, ut præter rem, ejusque rationem, & nexus inter utramque perspiciamus §. 9. Ea semper notiones distinctas supponit §. 6. Qua enim quomodo rem ex sua derivabis ratione, nisi ejus naturam distincte perspexeris?

§. XII.

Gradum definire solent per limitem intensionis. Ubi igitur plura intra se posita sunt, ibi major gradus est; Ergo cognitio historica, quia nil nisi nudam rei repræsentationem continet §. 8. est infimus cognitionis gradus; superior est philosophica, §. 9. & supremus gradus mathematica cognoscendi ratione constituitur. §. 10.

§. XIII.

Pariter, quia gradus est limes intensionis, §. 12. sequitur, ubi major adeat gradus, ibi quoque omnes minores adesse. Sume hodierno die octavum caloris gradum esse, & septimus, sextus, quintus, & reliqui abesse omnino non poterunt. Cognitio igitur philosophica, supponit historicam, mathematica autem utramque illam complectitur, & sine his suppositis esse nequit. §. 12.

§. XIV.

Idem ex definitionibus §. 8. 9. 10. allatis pronissime fluit. Jube enim a philosophica cognitione historiam

cam

INAUGURALIS.

5

cam abesse, num nexus rationis cum re ostendi poterit, donec res ipsa ignoratur? Antea omnino de simplici rei cognitione cogitandum est, quam ejusdem investiges rationem. Ea, quæ fieri nequeunt sane molitur ille, qui dimetiri, & effectum ex sua caussa determinare vult, antequam vel effectum vel ejus caussam cognoverit.

§. XV.

Cognitio Mathematica continet philosophicam §. 13. Hæc constat semper notionibus distinctis §. II. Mathematica igitur confusas admittere nequit ideas. §. 6.

§. XVI.

Utamur exemplo ad eorum, quæ huc usque diximus majorem dilucidationem. Esto id Antlia Aquaria Wasser-Pumpe. Per vètem embolo extracto non aquam ex puteo tantum in tubum perpendicularē ascendere, sed alio horizontali quoque profluere cuilibet vel mulierculæ constat, quia res quotidiana est, quæ ob oculos semper versatur, & hæc est hujus rei cognitio historica, quæ plerumque confusa esse solet, in paucis ob quietam hujus phænomeni considerationem distincta. Quodsi autem strūctura, & omnibus partibus cognitis noveris extractum embolum in tubo perpendiculari post se relinquere spatium ab aëre vacuum, ea que ratione æquilibrio virium oppositarum sublato aërem externæ aquæ superficie incumbentem premere ita, ut in tubum, ubi nulla vis obstat, non possit non ascendere, habes secundum cognitionis gradum nempe philosophicum. Sed ulterius progredi possumus, & vim aëris prementis, & altitudinem aquæ ascendentis, utriusque adeo quantitatem determinare, eaque ratione ex quantitate caussæ effectus magnitudinem dimetri, &



16 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

ri, & ita quidem tertium gradum in cognoscendo attin-
gimus.

§. XVII.

Etsi igitur in aprico sit, tria hæc cognitionis genera-
ra ita cum se invicem connexa esse, ut superius sine
inferiori esse nequeat ; Sed historica cognitio viam
pandat ad philosophicam , utraque autem Mathematica
inseriat. Tam tamen mirificam eorum deprehen-
dimus consociationem, ut philosophica saepe historicæ,
& utriusque mathematica quantum lucis, & roboris affe-
rat dici fere non possit.

§. XVIII.

Quodsi rei cuiusdam rationem certo perspexeris,
rem ipsam veram esse eo firmius credimus, quia nul-
lum amplius de eo, quod fieri potuerit, dubium super-
est. Cum vero effectus quantitatatem caussæ viribus re-
spondere observaverimus, nexus illius cum his pro
evicto habemus.

Hortulanum suecum in aqua per octodecim horas vi-
xisse, quod Derham in Physico Theol. p. 309. narrat ex re-
latione D. Pechlini, credimus, & reliquorum exemplorum,
quaæ ibidem afferuntur, nullum vocamus in dubium, quia ra-
tionem ex qua tam rara, tamque mira vitæ conservatio ex-
plicari, & concipi potest, subjunxit. Cohæsionem autem
duorum marmororum politorum intermedio sebo junctorum
ab aëris pressione non derivamus, quia effectus ratio viribus
caussæ plane non respondet. Vid. Hamb. Phys. §. 308. Im-
mo ad historicam structuræ cognitionem quantitatis deter-
minatio quantum faciat, vel hortalanus florentinus apud
Galilæum testatur, qui finem exoptatum in antlia extruen-
da

da non obtinebat, quia tubum perpendiculararem ultra triginta duos pedes assurgere jussérat.

§. XIX.

Si quis phænomenon novit, ejusque rationem, ex qua sit, reddere potest, non autem illud ex hac concipit, seu nexus inter rationem, & phænomenon non penetrat; ei tantum abest, ut philosophica tribui possit cognitio, ut nonnisi historica speciem philosophicæ præfere ferente gaudeat. §. 8.

Hujusmodi deceptio inter eos, qui sapientiae studio vacant, frequentissima est. Ii enim, qui philosophiam ex Lexicis memoriae opera addiscunt, sane nonnisi historicam de rebus, earumque rationibus cognitionem sibi acquirunt. Ascensionis aquæ in antlia rationem allegant aërem, sed tantum abest, ut effectum ex sua caussa in hoc & aliis exemplis concipere possint, ut terminis saepe inanibus contenti sint.

§. XX.

Eadem ratione historica cognitione ipsam mathematicam mentitur, & supremum eo modo affectat cognitionis gradum. Cum enim quantitatem effectus per sensus saepe vel nudos vel arte evectos determinare possumus, falso mathematicam nos attigisse cognitionem credimus, cum ea tamen nonnisi historica sit. §. 8.

Huc pertinet mechanicus theorematum mathematica probandi modus, quo in imbuenda mathematibus ætate puerili uti solent. Aliud enim est theorematum de angulis in triangulo duobus rectis æqualibus veritatem per sensus operis instrumenti cognoscere; Aliud ex evolutis, quæ istud contingunt, notionibus, & supposita trianguli ratione, quæ in genesi hujus figuræ querenda est, eandem deducere. Praeterea

18 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

terea fere per omnes Matheſeos partes quædam, tanquam per experientiam certa affumuntur, quorum ratio vel ignoratur, vel a philosophis inquiritur. Geometra extensio- nem metitur, de extensi vel possibilitate, vel ratione parum sollicitus. Angulum incidentię æqualem esse reflexionis angulo docent, & refractionum angulos determinant opti- ei, rationem radiorum tum reflexorum, tum refractorum plane non inquirentes. Etsi igitur talia Mathematicis in vi- tio poni omnino non possint, probe tamen observandum est, in his non mathematicam, sed historicam esse quantitatis co- gnitionem, quia effectuum quantitas non ex viribus cauſæ æstimatur, sed prout in sensuſ incurrit determinatur. §. 8. 10.

§. XXI.

Quodſi quædam per sensuſ cognoscantur, quorum determinata est quantitas, iſta cognition, quia historica est §. 20. non ſupponit philosophicam, ſed ſine ea eſe potest. Mathematicus practicus igitur philosophica quanti cognitione carere potest.

§. XXII.

A cognitione jam tranſeamus ad ſcientiam. Du-plex autem hujus vocabuli significatus eſt, ſumitur e- niim, ut terminis conſuetis utamur, vel ſubjective, vel ob- jective. Posterior ſenſus exprimit, eam veritatum co- ordinationem, qua alia ſemper ex alia tanquam ſua ra- tione, atque principio legitime deducitur. Priori ſigni- ficatione, qua ſcientia in homine conſideratur, vox ac- cepta denotat habitum, vel facultatem crebro exerci- tio adquisitam veritates dicto modo coordinandi.

§. XXIII.

Quocunque ſenſu ſcientiam ſumas, ea tamen ſem- per veritatis derivationem ex ſuis principiis involvit

§. 22.

INAUGURALIS.

29

§. 22. Ergo nonnisi in cognitione philosophica §. 9. & Mathematica locum haber §. 10. & semper notiones requirit distinctas §. 11.

§. XXIV.

Cognitio historica , etiam si philosophicæ , vel mathematicæ speciem habeat , §. 19. 20. scientia tamen vocari nequit , quia confusis plerumque constat notionibus §. 8. ideoque ille , qui eam habet , rem ex sua ratione derivare nequit . §. 22. 23.

§. XXV.

In Philosophia , ad cuius progredimur definitionem , explicanda ejusdem doctores in diversissima abundant . Utamur principiis hucusque stabilitis , & ea erit scientia eorum , quæ per & ex naturali cognoscendi facultate nobis constant . Quia igitur philosophia scientia est , notionibus confusis eam ingredi non licet . §. 23.

§. XXVI.

Dif fert autem , hanc si sequamur definitionem , philosophia a cognitione philosophica §. 9. ita , ut hæc in aliis eruditio nis partibus quoque locum habeat , quæ non ex sola naturali facultate cogitandi derivantur ut theologia , Jurisprudentia , §. 9. a quibus philosophia ideo distinguitur , quia theologia ex S. scriptura , Jurisprudentia ex statutis & legibus principum deducuntur ; hæc autem fontem suum unicum habet in viribus mentis humanae naturalibus , atque iis , quæ cuivis constant , principiis .

§. XXVII.

Mathesis , quam antiqui latissimo insigniverunt nomine , plerisque est scientia quantitatis . Sed explica-

C 2

tius



20 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

tius rem exprimamus, ita, ut sit scientia quantitatem rei ex ratione sua determinandi. Per quantitatem autem intelligimus, magnitudinem determinatam.

Ob maximam, quam hæc matheseos disciplina cum philosophia habet, conjunctionem mirari omnino non possumus; multa mathematicos suis conclusisse cancellis, quorum saltem pars philosophis suisset relinquenda. Quis ullam fere ante Wolfium Lineæ & figurarum in philosophicis libellis mentionem fecit? Cum tamen philosophi sit, naturam & genesis, vel qualitate in figurarum inquirere; mathematicum autem circa mensurationem, vel quantitatem earum unice hærere oporteat.

§. XXVIII.

Quia matheseos scientia in certos limites hic usque revocata non est, sed novæ potius partes eidem adjici soleant, & possint; ejus quoque definitio cum ea, quam de cognitione mathematica supra attulimus §. 10. coincidit. Consultum autem omnino esset, certum mathesi constituere objectum, & cognitioni mathematicæ deinceps, ut philosophica §. 26. in omnibus eruditioonis partibus locum relinquere. §. 10. Sequitur autem hinc, quicquid de cognitione mathematica supra affirmavimus, id de mathesi ipsa verum esse.

§. XXIX.

Mathesis effectum seu ens estimat, atque metitur ex sua ratione §. 27. supponit eam ob causam philosophiam §. 25. NULLA IGITUR SINE PHILOSOPHIA MATHESES esse potest, atque ideo hæc filia, illa autem mater, si vocabulis ejusmodi uti placeat, dici meretur.

§. XXX.

INAUGURALIS.

21

§. XXX.

Principium entis vocatur, ex quo illud derivari potest. Triplicis igitur est generis. Si enim essentiam entis exinde deducis, dicitur principium essendi; si existentiam ex eo colligis, existendi; quodsi denique cognitionem rei inde petis, principium cognoscendi appellatur.

§. XXXI.

Cum principium sit, ex quo ens derivatur, §. 30. principium semper supponitur, antequam de ente cogitari potest. Philosophiam supponit Matthesis §. 29. Ergo Philosophia Matheſeos dici debet principium, vel Matthesis philosophiæ debet sua principia.

§. XXXII.

Incipiamus, ut per exempla quædam quoque asserti veritas constet, a Logica, & quantum ex ea commodi Matheſeos doctores hauriant, brevibus ostendamus. Accurata illa, & quantitatis scientiæ ante nostram ætatem fere propria veritatem proponendi methodus sane non aliunde, quam ex uberrimo senioris Logicæ fonte profluxit. Etsi enim de omnibus, qui ad matheſata incubuerunt affirmari non possit, quod scholis Logicorum antea interfuerint, quam ad artem suam excolendam animum adpulerunt; regulæ tamen hujus divinæ de viribus intellectus rite adhibendis scientiæ cuilibet ita jamjam constant, ut claras saltem de iisdem notiones habeat. Quid enim est illa, quæ in scholis docetur Logica artificialis aliud quam uberior, & distin-cta Logica naturalis cultura? Hanc secuti sunt, ad hujus normam suas veritates explicarunt, disposuerunt, demonstrarunt mathematici.

§. XXXIII.



DISSERTATIO PHILOSOPHICA

§. XXXIII.

Quodsi igitur suum cuique jus tribuendum sit, laudes, quibus methodus illa mathematicorum cumulatur, Logicæ magis, quam Mathesi vindicandæ sunt. Quid quod? cum non omnes in tradenda quantitatis doctrina pari felicitate incesserint; sed alius demonstrationis regulas accuratius observaverit alio, ipsum hoc discrimen testatur, methodum hanc tum a viribus intellectus, circa quas versatur Logica, tum a scientia regularum, quas Logici tradunt profectam esse.

§. XXXIV.

Methaphysica, & in ea Ontologia in primis pariter Mathesi quam maxime inservit. Sufficiat nobis brevitatibus ob temporis angustiam, qua impedimur, quo minus uberioris omnia diducere possimus, studiosis testimoniis Viri, qui in utroque studio reliquis dubiam fere reddidit palmam. Prima, inquietis, quibus Euclides uitatur, principia sunt definitiones nominales, quibus per se nulla inest veritas, & axioma, quorum pleraque sunt propositiones ontologicae. Atque ita intelligebam Mathesin omnem certitudinem philosophia prima acceptam referre, ex qua principia prima desumit. Ipso opere, cum theorematu demonstrare conarer, dudici, in omni veritatum genere perinde ac in Mathesi tandem perveniri ad principia philosophiae primæ; Ea igitur de quantitate principia, qua in Ontologia ex notionibus deducta reperiuntur, ea sunt, in quæ universa Elementa Euclidea resolvuntur, & unde eadem, atque adeo Mathesis universa evidentiam omnem habet.

§. XXXV.

Ad physicam progredimur, & quod ea quoque mathesi principia, & præter quantitatis determinacionem,

nem, fere omne id, quicquid habet, in multis disciplinis exhibeat ostendendum est. Sed tanta hic sepe offert dicendi copia, tamque latus per singula eundi campus, ut difficilis sit modum in dicendo tenere, quam argumenta nostram comprobantia sententiam conquerire. Cum enim plures matheſeos præſertim mixtae partes ex physica defūntæ ſint, in iis ſane neque quantitatis diſquisitio, neque alia mathematicorum opera ulla in applicanda diverſimode quantitatē locum haberet, niſi a philosophis ante scientiæ forma ornatae, vel cognitio quædam certa ſaltim historica de iis inventa eſſet.

§. XXXVI.

Clarissimum exemplum eſt Aerometria, qua Wol-
fius mathematum theſaurum locupletavit. Postea-
quam enim Otto de Guericke artem ſpatium ab aëre
evacuandi inveniſſet, ea que ratione ad naturam hujus
corporis inquirendam, & ſcientiam eorum, quæ per aë-
rem præſtantur, condendam, viam, qua ingredientibus
de aëre philoſophandi facilimus labor erat, parafſet;
Mathematicis quoque de quanto in Aere meditari li-
cuit. Eadem ratio eſt cuiuslibet ex Physica in Mathe-
fin adoptatae disciplinæ. Antequam in Mechanica vi-
res, motumque per Machinas augere poterant Mathe-
matici, motus natura atque indeoles a Physicis diſqui-
renda fuit. Prius Radiorum ſolarium ratio detegenda
fuit a philoſophis ſaltem a posteriori, quam angulorum,
quo incident, & reſiectuntur vel refringuntur, quantitas
determinari potuit in optica. Qua ratione magnitudo
corporum mundi totalium eorum motus, & phæno-
mena, quæ inde exſurgunt mensurari potuerunt, niſi de in-
dole omnium horum certi aliquid ante conſtitutum, at-

D

que

24 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

que in physicorum scholis evictum fuerit. Tanta igitur Matheſeos a philosophia est dependentia, ut illius cultores fere nihil præter historicum præſtare queant, niſi philosophi fundamenta jecerint, super quæ deinceps mathematici suum exſtruunt adiſcium.

§. XXXVII.

Ita quidem bono cum Deo finem nobis præfixum attigimus, & Matheſeos fontem, atque matrem philoſham eſſe demonſtravimus. Adjungamus duo, quæ ejus, quam deduximus huc usque veritatis fecunditatem teſtantur, atque utilitatem. Alterum præſtantiam duplicitis, de qua verba fecimus disciplinæ, qua altera alteram vincere creditur, attinget: alterum ordinem, quo addiſcenda utraque ſit, expendet.

§. XXXVIII.

Etsi philosophia pariter ac matheſeos apud omnes, qui earum non rudes plane ſunt, ſummæ deprehendantur laudes; una tamen alteri præponi haud raro invenimus. Antiquos ad quantitatis ſcientiam primas detuliffe partes ipſe titulus, quo eam diſtinixerunt, nos dubitare non ſinit; quos ſecutus Vofſius affirmit *Veriſſimum eſſe, disciplinas mathematicas totius eſſe philoſophia certissimas, præque aliis proprie magis ſcientiarum nomen mereri.*

§. XXXIX.

Cum autem Mathemata ſive veritates, ſive modum eas proponendi mathematicum conſideres, ſua in philoſopherum disciplinis incunabula habeant, atque origines, §. 32-36. majorem eorum eſſe utilitatem, & præſtantiam, quam philoſophia non ſine ratione dubitatur. Altior eft Matheſis, quam philoſophia §. 12. at progres-
fus

sus ad illam sine hac non datur. §. 29. *Aequissimum igitur erit de utraque judicium si neutra alteri præse-ratur, sed utriusque suum jus, suaque, quam meretur, excellentia relinquatur.*

§. XL.

Ordinem autem, quod attinet, qui in colendis his duabus eruditionis partibus observandus est, eo diffi-cilius de eo judicari potest, quo arctius hæc cum se invi-cem connexæ sunt. Alteram ab altera sejungi non posse plurimi asserunt, & ea, quæ præmisimus, princi-pia evincunt §. 29. §. 18. Quia autem mathesis omnis philosophiam agnoscit fontem & matrem §. 29. hanc na-tura priorem illa esse, res ipsa loquitur. Natura igitur si sequenda est dux, philosophia præcedere debet ma-thesi.

§. XLI.

Contradicere eo quidem modo videmur antiqui-tati, & eorum consilio, qui nostra arate utramque con-junxerunt scientiam; sed hi fere sunt, qui mathesin magis tanquam ad ingenii culturam apprime aptam, e-jusque methodum commendant, quam ut ipsas veri-tates mathematicas eo ordine cum philosophicis imbi-bendas quasi esse suadeant.

Quis credat? Platonem, qui geometriæ ignaris adi-tum ad Gymnasium præclusit suo μη εἰσιτω, ab iis, qui philosophiæ vacare constitutum haberent, postu-lasse, ut in mathesi, quam hodie discimus, antea jamjam bene versati sint, atque exercitati; cum Mathesis hodierna longe abstractior, & altior sit philosophia §. 12. Potius ob methodi evidentiam, & sensuales probationes §. 20. tyronibus philo-sophiæ

26 DISSERT. PHILOSOPHICA INAUGURALIS.

sophiæ eam admentis exercitationem commendavit. Testem habemus Vossium, qui in Libro III. de Nat. & Constit. Artium ita scribit: *Plato appellae mathesin Karæ πάθειαν ὁδὸν Viam ad doctrinam. Inter olio movit Platonem, quod his disciplinis acuatur ingenium ad facilius percipiendo, quæ philosophis subtiliter disputantur.*

§. XLII.

Nihil igitur superest, quam ut, si tutissime ire placat, ea, quæ firmo nexu cohærent non solvamus, sed in matheseos studio atque philosophiæ cultura pari ut ita loquar passu progredi studeamus. Ea enim demum ratione, neque iis, quibus mathesis ex philosophia opus habet principiis carebimus, §. 31. neque adminiculis egregiis, quæ exempla Geometrica Logice, & tota quantitatis cognitio philosophiæ §. 18. suppeditat, destituemur.



He' 2014

(1)

Petro ✓

SL VD 17.00

VD 18

WE

ULB Halle
004 760 913

3



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimetres

MATHESIS PHILOSOPHIAE FILIA, NON MATER.

Die
Welt-Weisheit der Grund von der Mathematic.

QUAM
PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS
EX CONSENSU

AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHICI
IN ALMA FRIDERICIANA

CAPESSENDIS

H. L. Q. C. D. VI. MAJI

PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI

SISTIT

GODOFREDUS PROFE,
FRANCOFURTANUS.



HALÆ MAGDEBURGICÆ,
LITTERIS HENDELIANIS, 1738.